

SCRIPTA

Numéro Scripta : 5501

Auteur(s) : Philippe IV le Bel, France (roi)

Bénéficiaire(s) : Coutances (chapitre cathédral)

Genre d'acte : vidimus

Authenticité : non suspect

Datation : 1294, janvier

Lieu d'émission : Paris

Action juridique : confirmation

Langue du texte : latin

Analyse

Philippe [IV le Bel] vidime l'acte de Laurent Héroult adressé au chapitre de Coutances.

Tableau de la tradition

Éditions principales

a. Fontanel Julie, *Le cartulaire du chapitre cathédral de Coutances*, Saint-Lô, Archives départementales de la Manche (Sources inédites sur l'histoire du département de la Manche ; 1), 2003, n° 312, p. 450-451.

Texte établi d'après a

Philippus, Dei gracia Francorum rex. Notum facimus tam presentibus quam futuris nos quasdam litteras sigillo dilecti nostri Laurencii dicti Heroult clerici sigillatas, prout in prima facie apparebat, vidisse, formam que sequitur continentes :

« Universis hec visuris, Laurencius dictus Herout, clericus deputatus ab illustrissimo principe domino Philippo, Dei gratia rege Francorum, super acquisitis factis ab ecclesiis, domibus religiosis, universitatibus, et innobilibus personis, in baillivia Constantini, salutem in Domino. Notum facimus quod viri venerabiles et discreti capitulum Constanciense, nomine suo et ecclesie sue Constanciensis, nobiscum finaverunt super retinendis, habendis et in posterum possidendis ab eis et eorum successoribus nominibus supradictis, sine coactione vendendi vel extra manum suam ponendi, rebus inferius annotatis, acquisitis ab eis nominibus quibus supra, in feodis et retrofeodis domini regis, tam ex dono quam ex empto, videlicet apud Tesseium, triginta sex quarteriis frumenti ; item apud Sanctum Georgium in Bapteseio tresdecim bussellis frumenti ; item apud Tyevillam, viginti duobus bussellis frumenti, novem solidis, quinque denariis tur. ; item apud Constancias, uno quarterio frumenti, sex bussellis ordeï ; item ibidem sex bussellis frumenti ; item apud Sanctum Salvatorem Lendelin, uno quarterio frumenti ; item ibidem tribus bussellis et dimidio frumenti ; estimatis his omnibus ad valorem viginti quatuor libris tur. annui redditus pro sexies viginti libris tur. In cujus rei testimonium, nos dictam finationem nomine domini regis recipientes, sigillum nostrum presentibus litteris duximus apponi, salvo in aliis jure domini regis et jure in omnibus alieno. Datum anno Domini M° CC° nonagesimo tercio, die jovis post festum beati Mathei apostoli ».

Nos autem finationem hujusmodi ratam et gratam habentes, eam volumus, laudamus ac eciam approbamus, concedentes quod capitulum predictum predicta teneant et in perpetuum possideant, absque coactione vendendi vel extra manum suam ponendi, salvo in justicia et aliis jure nostro et jure quolibet alieno. Quod ut firmum et stabile permaneat, in futurum presentibus litteris nostrum fecimus apponi sigillum. Actum Parisius, anno Domini millesimo ducentesimo nonagesimo tercio, mense januarii.